



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

19 Gratia Papae non eget ad sui essentiam scriptura.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

netalem confirmationem tam exorbitans privilegium confirmare velle censetur: maxime cum omnia privilegia Trident. Conc. contraria excipiat.

## DECISIO XV.

*Ex cons. 14. alias 37. de penit. & remis.*

**15** **P**apa privilegium concedens, ut quoties in aliquo certo altari pro defunctis Missa dicatur, anima illa per modum suffragij indulgentiam plenariam consequatur, de qualibet Missa, tam de sancto, quam de feria, quam de defunctis intelligitur. Quamvis enim valor Missa pro defunctis aliquid amplius ex opere operantis valet, ea ratione quod totus ferè tenor eius resonet defunctorum: quia tamen Missa omnes ex opere operato æquales sunt: cap. intra. r. q. 1. & ex alio respectu Missa defunctorum breuior est, & minus attente, ut plurimum dicitur, quam alia, & sæpe contingit aliquem mori vespere, vel mane alicuius festi magni, cuius animæ propinqui, & amici optulari desiderant, & frequenter nova memoria sancti, & officij novitas, celebrantis deuotionem auget, ex qua valor operis operantis dependet, & inconueniens esset eo die Missam defunctorum dicere: satis erit quamlibet Missam ad indulgentiam pro anima defuncti acquirendam dicere, præsertim cum Papa generaliter Missam nominet ad nullam particularem restringens, & dispositio generaliter loquens, etiam generaliter intelligenda est, cap. solita. de maiorit. & obed. & beneficium principis, dummodo non sit ambitiosum, cap. quamuis. de præben. in 6. late interpretari debet. l. 1. ff. de const. prin.

## DECISIO XVI.

*Ex cons. 15. alias 6.*

**16** **H**abens licentiam legendi aliquem librum, extra territorium licentiam concedentis, illum legere potest, sicut habens licentiam consistendi, studendi, vel non ieiunandi, extra territorium concedentis, confiteri, studere, vel ieiunium omittere valet. Arg. c. placuit. de pen. d. 6. & arg. cap. cum ex eo. de elect. in 6.

## DECISIO XVII.

*Ex cons. 16. alias 5.*

**17** **E**piscopus in sua diocesi ex iusta aliqua causa privilegio Missandi extra ecclesiam, vel alium locum sacrum uti poterit super altari portatili, & facultatem id faciendi alijs dare, cap. conce. dimus de consec. dist. 1. non obstante Concilio Tridentino, sess. 22. de obseru. & cul. in celebr. Miss. illud solum pro libito, & sine iusta causa fieri prohibente: in alieno autem episcopatu, illo privilegio uti non potest, si episcopus ille Concilium Tridentinum receperit, & prohibuerit, ne quis in suo episcopatu extra loca sacra, & ad Missandum specialiter deputata, sacrum celebraret, quia episcopi auctoritate Concilij Tridentini ea statuere possunt, quæ iusta & honesta sibi videbuntur, tanquam Papæ delegati in hac parte, privilegij quibuscumque in contrarium non obstantibus, ita Nau. in Man. cap. 25. num. 82.

## DECISIO XVIII.

*Ex cons. 17. alias 25.*

**18** **R**eligiosus professus approbatæ religionis nullo ordine insignitus immiscens se rapinis, latrocinij, & alijs enormibus criminibus, etiam habitu, & tonsura clericalibus dimissis, antequam moneatur desistere aut incorrigibilis sit, privilegium fori non perdit, nec laico iudici subijcitur, cap. cum ab homine. de iud. cap. si iudex. de senten. excom. in 6. & cap. nouimus. de verb. sign. sicut nec clericus saltem in sacris constitutus. arg. Conc. Trid. sess. 23. ca. 6. de refor. Et iura, quæ clericos occidentes, vel mandantes occidere per assassinos, & ioculatores, goliardos, & buffones artem illam per annum exercentes, privilegium clericale, & fori perdere dicunt, cap. Penæ de pen. dist. 1. de illis specialiter intelliguntur, nec extra proprium casum ad alios extendi debent, cum sint leges pœnales. Sed neque de privilegio fori iura illa di-

sponunt, sed ad summum solum probant perdi privilegium canonis, si quis suadente, ut gratissimi authores exponunt, ex Pan. in cap. perpendimus. de sent. exc. & Silu. verb. clericus.

## DECISIO XIX.

*Ex cons. 1. in Nouis, deest in antiquis.*

**19** **Q**uamuis scriptura ad valorem, & substantiam gratiæ necessaria non sit, ex Cle. dudum. de sep. & ibi glo. in ver. verbo neque gratia morte concedentis expirat, c. si super gratia de offic. deleg. in 6. sicut expirat mandatum re integra, morte mandantis, cap. relatum. de off. deleg. quoad probationem tamen in foro exteriori, ita necessaria est, ut nisi probari possit concessa, pro non concessa habenda erit, eo quod quoad forum exterius de non existentibus, & non apparentibus, idem est iudicandum, cap. si sacerdos. iuncta gl. de off. ordin.

## DECISIO XX.

*Ex consil. 4. in Nouis, deest in antiquis.*

**20** **C**asus reseruati episcopo ligant etiam exemptum, nisi sit ita exemptus, ut nec ratione delicti, nec contractus ei subijciatur, arg. cap. 1. de priuil. in 6.

## DECISIO XXI.

*Ex cons. 7. in Nouis, deest in antiquis.*

**21** **P**riuilegia clausa in corpore iuris quamuis per aliam superuenientem dispositionem etiam iuris communis, habentem in se clausulam generalem, (Non obstantibus privilegij) non censentur sublata, vnde & regulares privilegio sibi de tempore interdicti celebrando concessos, in corpore iuris clauso, cap. alma mater. de sent. excom. in 6. non obstante Concil. Trid. uti possunt, alia tamen regularium privilegia, quibus eis facultas celebrandi diuina in diebus eis facultas celebrandi diuina in diebus sanctorum suorum ordinum, & aliquot alijs tempore interdicti conceditur, per Concilium Trid. sess. 25. de regul. cap. 12. & 22. sublata censentur: Quandoquidem alias inutile redderetur, cap. 12. cum absque iussione illius, religiosi interdicta cum moderatione suorum privilegiorum seruate tenerentur, cle. 1. de sent. excomm. & cap. 22. privilegia omnia iuri communi contraria illis tollere videtur, iusque nouum in omnibus capitulis illius sessionis præcedentibus specialiter ab eis seruari præcepit; Quorum vnum est cap. 12. tollit enim vniuersaliter sine discrimine omnia, & singula privilegia quæ decretis superioribus contrariantur. Vnde cum constet præfata privilegia iuri communi de seruando interdicto esse contraria, cuius obseruantia eis specialiter in cap. 12. præcipitur, per præfatum Concilium penitus sublata esse censentur. Si quidem mens Concilij fuisse videtur, religiosos parochis æquare quoad interdicti obseruationem, & ut religiosi, qui sunt coadiutores parochorum eos non superent, cum accessorium principale suum non præcedere, sed sequi debeat, c. accessorium de reg. iu. in 6.

## DECISIO XXII.

*Ex cons. 19. in Nouis, deest in antiq.*

**22** **M**inores de obseruantia iurisdictionis parochialis in pacis sunt, vnde nec illam præscribere possunt, & si ministrant Sacramentum Eucharistiæ, aut extremæ vntionis, vel benedicant nuptias parochianorum alicuius loci, excommunicati sunt, cle. 1. de priuil. nisi ex Episcopi, aut Papæ licentia, & privilegio, aut ab immemorabilis temporis possessione, & præscriptione id faciant.

## DECISIO XXIII.

*Ex cons. 21. in Nouis, deest in antiquis.*

**23** **P**riuilegium regularit er non prodest, cui conceditur, nec nocet ei, contra quem conceditur, donec ad eorum potestatem perueniat: Et licet aliquando proficiat, cui conceditur, nunquam tamen nocet ei, contra quem conceditur saltem